



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XLII. Primariarum Precum, vi quarum ut obtineatur Beneficium, quid  
observandum Precistæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

consuetudine locum non habet, quippe quæ de uno casu ad alium extendi non debet, cùm unum præscribi, vel consuetudine aquiri sine altero possit. Proinde ex eo, quod Capitulum mense Papali conferat dignitatem, & Pontifex solum Canoniciatum, non sequitur, quod idem jus Capitulo prædicto competit in casu altero, ubi dignitas, & Canonicatus vacat per assumptionem possessoris ad dignitatem Episcopalem. Deinde, licet de jure alternativæ subjaceat dignitates omnes, majoribus post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, & primis in Collegiatis inferiores, idem tamen locum duntaxat habet, nisi alicubi in contrarium detur Privilegium, aut consuetudo, qualiter.

Van Espen. J. E. U. p. 2. tit. 23. c. 5. n.

19.

testatur dari passim, ut Capitula eligant suos Decanos, quounque mense contigerit vacatura. Simile ergo Privilegium, vel consuetudo probari deberet à Capitulo quoad jus eligendi Scholasticum in casu, quo collatio Scholasteriæ per Concordia reservata est Papæ ex causa Scholastici prioris ad Episcopatum assumpti: quo casu, ut dixi, obtineret quidem jus hunc

eligendi, non tamen excludendi Pontificem, si velit jure præventionis uti, prout uti potest etiam sine alia causa, cùm ei quoad hoc assistat, Capitulo autem resistat jus Concordatorum, respectu cuius consuetudines contrariae, ut iterum dixi, explicari debent, ut quam minimum ei noceant.

Ad 4. Quæstio imprimis est, an in casu proposito provisus à Sede Apostolica justè fuerit repulsus à consequenda dignitate, de qua provisus est, sæpe enim protestatio adversus hujusmodi Bullas provisiones interponitur, quin eajuri innitatur. Deinde hoc argumentum iterum fit à pati, atque adeò responsionem patitur, quam dedi ad argumentum præcedens. Si repulsum ita provisus tulit quoad dignitatem, ideo fortasse tulit, quia hanc jam antea Capitulum, consuetudini innixum, consultit alteri: & sic fuit casus longè diversus à nostro. Ut ergo præjudicia, in hoc, & priori arguento allata aliquam probandi vim haberent, necesse foret rescire omnes circumstantias allegatorum casuum. Interim verò standum erit pro validitate provisionis Pontificiæ, & istæ manutencenda, ex principiis hæc tenus deductis.

19.

## CONSILIO XLII.

In causa Precistæ intra debitum tempus non insinuantis se Collatori, quod Beneficium, ad quod primas preces imperatoris habet, acceptet.

### SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Precista debet intra debitum tempus præsentare rescriptum, & acceptare vacans Beneficium.
3. Secus non erunt ligata manus ordinario Collatori.
4. Precista, neglecto primo, potest petere secundum vacans Beneficium, nisi preces sint restrictæ ad primum.
5. Concessio censetur tandem dare facultatem

### FACTI SPECIES.



cujsdam Canonici. Interea precista non comparuit, neque per se, aut Procuratorem insinuavit Collatori ordinario, quod vigore precum Canonicatum istum acceptare velit. Quæritur, an jure suo precista hoc casu ceciderit? antequam ad quæstionem istam respondeam, prius solvenda est sequens

### Quæstio Præliminaris.

(CCC 3)

Quid

*Quid faciendum sit precista,  
ut obtineat Beneficium, ad  
quod preces eidem sunt  
datae.*

2.

**R**esp. duo illi facienda incumbunt, ut precum pro se datarum consequatur effectum. Imò. Debet precista rescriptum precum ante mensem elapsum insinuare Collatori ordinario, v. g. Episcopo, vel ejus Vicario, aut Capitulo (si collatio ad istud spectet) & quidem Capitaliariter congregato, cum singuli Canonicis seorsim Capitulum non repräsentent. 2. Si Beneficium, ad quod preces imperatorias habet, vacare contigerit, debet intra mensem, numerandum à die, quo ipsi vacatio illius innotuit, illud per se, vel per alium, ad hoc speciale mandatum habentem, acceptare, & declarare, quòd istud vigore Precum imperatoriarum petat.

Ita indultum §. quodque, & notant Chockier ibid. V. per se, vel per alium. Wagnereck §. 3. V. infra mensem Hermes fascic. jur. publ. c. 11. n. 7. Pirhing. ad tit. de prab. & dignir. n. 377. Leuren. p. 2. for. Benef. q. 613. n. 1. & 2. la Croix lib. 4. n. 574.

Alterutrum ex his duobus si omittatur, ordinarii Collatoris manus non erunt ligatae, poteritque ille Beneficium istud conferre alteri,

Chockier V. duxerint acceptanda fol. 73. Wagnereck §. 2. ¶ communiter, vel divisim, & §. 3. V. infra mensem q. 2. Hermes c. 11. cit. n. 48. & seqq. Pirhing ad dit. tit. n. 377. Wielstner ibid. n. 176. la Croix n. 574.

Idque statutum est, quia diurna Ecclesiastiarum vacatio est ipsi dispensiosa c. quam sit 6. de Elect. in 6.

Non tamen propter hanc omissionem, & negligentiam precista excidit jure suo. Et hinc, si post mensem res adhuc integra sit, adhuc acceptationi, per negligentiam omissione, locus est,

ut contra Herm. l. cir. n. 62, docent Chockier. V. intramensem Wagnereck V. eod. q. 2. Eogl ad tit. de prabend. n. 71. ¶ item mensē elapsō. Pirhing ibid. n. 378. Wielstner n. 177. P. Schmier p. 2. dereb. Eccl. c. 3. n. 231.

propter clausulam extraordinariam additam indulto s. fin. ubi dicitur, quòd non obstante Precista, quæ alioquin per Constitutiones Apostolicas requiruntur de insinuatione, & publicatione gratiarum expectatarum, & diligentissimis per acceptantes desuper faciendis in favorem ordinariorum Collatorum, quibus proinde Constitutionibus per hanc clausulam expressè derogatur.

4. Imò, si Precista neglexit acceptare Beneficium primum vacans in Ecclesia, ad

quam impetravit Preces, potest adhuc petere secundum vacans; si nec istud, tertium, & sic deinceps, donec aliquod tandem acceptaverit, ut communiter notant DD. cum Herm. c. 11. cit. n. 63. Quod tamen intelligendum duntaxat in casu, quo Precista, ut fieri solet, data est option, ut, quod duxerit acceptandum, intra mensem à die cognita vacationis ei conferatur. Secus est, si Preces determinatè date sint ad Beneficium primò vacaturum; nam hoc casu Preces ei data ipso ejus intra mensem non acceptantis neglectū, & collatione Beneficii alteri facta exspirant, ut cum aliis notat

Wagnereck §. 3. ¶ infra mensem q. 3. & colligitur arg. c. si Clericus 11. de prab. in 6.

ex cuius decisione Clericus, qui habet gratiam expectativam ad præbendam proxime vacaturam, & hæc ex ejus neglectu deinde alteri collata est, non potest petere secundum vacantem.

Sed & ipse Imperator in casu, quo Preces alicui concessæ non sunt sortitæ effectum, quia v. g. is, qui nominatus est ab Imperatore, renuntiavit Precibus, vel, antequam ipsi conferretur Beneficium, mortuus est, vel contraxit matrimonium, vel Religionem ingressus est, potest nominare alium, prout advertunt

Chockier sect. 2. q. 5. 7. & 15. Wagnereck §. 2. V. hujusmodi not. 4. Herm. c. 11. cit. n. 21. Wex Ariadn. p. 1. tab. 15. n. 6. la Croix l. 4. cit. n. 574. Engl. ad tit. de prab. n. 71. ¶ 2d potest. Pirhing ibid. n. 373. Wielstner dict. tit. n. 174.

Ratio est, quia, quando actus non habet effectum secundum intentionem disponentis, non intelligitur restricta concessio ad unum actum, sed de ulteriori actu semper intelligi debet, donec res sortiatur effectum, ut docet

Bald. in l. invit. 17. in fin. de Procurat.

Quod maximè procedit in Beneficialibus, prout patet in electione, quæ, si prior ob mortem, renuntiationem &c. Electi effectum non est sortita, semper nova, & nova conceditur, donec aliqua effectum sortiatur: & idem fit in collatione, presentatione, & nominatione ad Beneficium. Atqui ex his patet

**Responsio ad quæstionem num. 1. propositam.**

Dicendum 1. postquam Mauritius intra debitum tempus se non insinuavit, & acceptavit Canonicatum vacante, non teneri Capitulum expectare ulterius, sed juxta dicta num. 3. posse illum conferre alteri. 2. Quia tamen juxta ibi-

ibidem dicta per hanc suam negligentiam non excedit jure suo, eā negligentia non obstante, idem Mauritus, usque dum Canonicatus ille conferatur alteri, potest eundem petere. Imò 3. et si hic alteri collatus sit, jus habet petendi proximè vacaturum in casu, quo preces eidem datae sunt ad Canonicatum, vacaturum indeterminatè in Ecclesia quæstionis, ut dictum est num. 4. In quounque autem casu, sive Precista nominatus per Preces sit ad Canonicatum proximè vacaturum, sive ad quemcunque alium, cùm vacaverit, potest. 4. Imperator, etiamsi renuntiasset Mauritus favori Precum, juxta num. præc. nominare alium, donec Preces sortiantur effectum in aliquo Canonicatu deinceps vacatu.

## Appendix ad præcedens Consilium.

7. DUM in præcedente casu ignorabatur: dubinam terrarum Precista moraretur, & interea Canonicatus jam ultra trimestre vacabat, Reverendissimus Dominus Præpositus memoratæ Ecclesiæ, ad quem alternativè cum Capitulo jus præsentandi ad Canonicatus ibi vacantes pertinet, prætendit dicti Canonicatus collationem jure devoluto ad se spectare, quod Capitulum, apud quod tum turnus fuit, infra trimestre, prout de jure requiri credebat, eundem nulli contulerit.

Quæritur, an revera à Reverendissimo Præposito memorato possit prætendi collatio jure devoluto? & si locus illi non sit, an prius, quam Capitulum eundem Canonicatum conferat alteri, adeoudus sit Augustissimus, & de non comparitione precistæ admonendus?

Resp. non posse ab eodem prætendi collationem ex causa juris devoluti; nam imò

juxta c. eam te 22. & c. un. §. verum. de jur. Patron. in 6.

Patrono Ecclesiastico pro præsentatione ad Beneficium vacans conceditur semestre; semestre autem non finitum est. Imò

2dō. Esto, finitum esset revera hoc semestre non tamen finitum esset hoc casu ipsi Capitulo; nam tempus hoc, ut constat

ex c. quia diversitatem s. de concess. præb. non currit legitime impedito, sive deinde impedimentum sit juris, sive facti. Taliter autem impeditum hoc casu fuit Capitulum, ne Canonicatum vacantem conferret, cùm expectare debuerit, an non Precista vel Pre- cum Primariarum vellet acceptare dictum Canonicatum, pro quo eidem Precista datur mensis integræ tempus numerandum à die, quo ipsi vacatio Beneficii, ad quod

preces habet, intotuit juxta Indultum Primarum Precum §. quodque non potuit autem Precista, utpote absens, statim habere notitiam vacaturæ. Igitur differri necessariò collatio debuit, usque dum mensis integer à tempore illo, quo vacaturam istam cognovit Precista, vel per eum factum est, ne cognosceret, revera transierit. Proinde

## IO.

3tio. Semestre, quod per jus commune pro conferendo Canonicatu quæstionis Capitulo conceditur, non lapsum est, sed post illud semestre, quod fluxit à tempore vacaturæ, eidem Capitulo superest minimum unus adhuc mensis, & hoc primum elapsò, devolutio ad superiorē fiet. Intra hunc mensem autem (si non intra longius tempus) idem Capitulum eligere potest subjectum idoneum ad Canonicatum sic vacantem, ut colligitur ex iis, quæ docent

Abb. in c. quia diversitatem cit. n. 3. & ibi Imol. n. 4. Vivian. princ. Fagnan. n. 1. Barbos. n. 1. Gonzal. n. 5. & seqq. Wagnereck. ad Reg. 1. Cancell. Van Espen. J. E. U. p. 2. tit. 21. c. 5. n. 6. Pirhing ad tit. de concess. præb. n. 31. not. 2.

Porro

4. Ad sic conferendum Canonicatum vacantem Capitulum non habet opus, ut audeat Augustissimum, cùmque moneat de non comparitione precistæ; nam post mensem à die notitiae, vel quo potuit ad istum venire notitia, si hanc voluisse habere Precista non amplius ligatur ordinatio Collatorimanus, potestque ille Beneficium tale conferre alteri.

Chockier ad Indult. prim. Prec. V. du- xerint acceptanda sol. 73. Wagnereck. ibid. §. 2. V. communiter, & divisim, & §. 3. V. infra mensem q. 1. Herman. Herm. fæse. jur. publ. c. 11. n. 48. & seqq. Pirhing ad tit. de præb. n. 377. Wiestner ibid. n. 176. la Croix l. 4. n. 574.

Neque per hujusmodi collationem infertur Augustissimo præjudicium; nam

5. Quamdiu Precista nondum imploravit Officium Collatoris, vel Executoris, ut de Beneficio, ad quod nominatus est, & quod actu vacat, ille sibi provideat, potest Imperator variare, & resilice nominando alium.

Chockier scđ. 2. q. 2. sol. 22. Wagne- reck. §. 2. V. hujusmodi not. 3. & hoc tamdiu, donec Preces sortitæ sint effectum suum.

Chockier scđ. 2. cit. q. 5. 7. & 15. Wagnereck l. cit. not. 4. Herm. c. 11. cit. n. 21. Leuren. p. 2. for. Benef. q. 618. n. 3. Wex Ariadn. p. 1. tab. 15. n. 6. la Croix l. 4. cit. n. 574. Engl. ad tit. de præb. n. 71. §. 2. potest Pirhing ibid. n. 373. Wiestner dict. tit. n. 174.

## II.

## 12.

CON-